



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationum// Roberti Bel-//larmini Politiani,// Societatis
Iesv// De Controversiis// Christianae Fidei, Adver-//sus
huius temporis Haereticos,// Tomus ...**

De Sacramento Evcharistiæ - Sex Libris Explicata

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1589]

VD16 B 1603

XIII. Probatur sacrificiu[m] Missæ ex cap. 13. Actorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54113)

rem ad Timotheum, prope finem: *Sacra ipsa oblatio, siue illa Petrus, siue Paulus, siue alius cuiusvis meriti sacerdos offerat, eadem est, qua dedit Christus ipse discipulis, quamq; sacerdotes modo quoq; consciunt: nihil habet ista, quam illa minus. Cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacrauerat.* AVGVSTINVS in Psalm. 33. concione 2. *Ipsē de corpore, & sanguine suo, sacrificium instituit secundum ordinem Melchisedech.* Vide etiam librum 3. de Baptismo contra Donatistas, cap. 19. lib. 20. contra Faustum, cap. 21. epist. 5. ad Marcellinum, lib. 17. de ciuit. Dei, cap. 20. & lib. 83. quaest. 61. LEO serm. 7. de passione Domini: *Vt Umbra cederent corpori, &c.* ISIDORVS lib. 2. in Leuitic. cap. 8. *Prius figuratam ouem cum Apostolis cenans Dominus, postea suum obtulit sacrificium.* RVPERTVS lib. 2. in Exodum, cap. 6. *In angustia passionis agonizans, prius propriis manibus Deo Patri semetipsum immolauit, accipiens panem, &c.*

CAPVT XIII.

Probatur sacrificium Missae ex cap. 13. Actorum.

SEPTIMUM argumentum sumitur ex illis verbis, quae S. Lucas in Actis ponit, ubi refert ordinationem Pauli, & Barnabae: *Ministrantibus, inquit, illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam, in opus, ad quod assumpsi eos, Act. 13.* Ministerium enim illud Domino exhibitum, non videtur aliud esse potuisse, quam sacrificium, & sacrificium Missae: aut enim hoc sacrificium est in Ecclesia, aut nullum.

Significari autem illa voce: *Ministrantibus*, sacrificium, probatur PRIMO ex voce Graeca *Λιτουργία*. Nam in primis acti aduersarij contententur, & potissimum Apologia Confessionis Augustanae in artic. de Missa, vocem illam *Λιτουργία*, non significare quodcunq; ministerium, sed publicum. Itaq; hoc loco non significat aliquid priuatum, & internū, sed publicum, & proinde externum. Neq; significare potest ministerium verbi, aut Sacramentorum: quia ista publica quidem sunt, sed non exhibentur Deo. Non enim concionamur Deo, neque Sacramenta Domino dispensamus, sed populo. Hic autem dicitur: *Ministrantibus illis Domino.*

Vuu

DICES;

DICIS; Qui concionantur, aut Sacramenta populo prebent, Domino ministrare dici possunt, quia ad eius honorem id faciunt. At si ista esset causa, cur Lucas scripserit: *Ministrantibus Domino, non addidisset, & ieiunantibus;* nam etiam ieiunare, est eo modo Domino ministrare. Qui enim bene ieiunant, ad honorem Dei ieiunant; iuxta illud Roman. *Qui manducat, Domino manducat, & qui non manducat, Domino non manducat.*

PRÆTEREA verbum illud *Λιτουργία*, licet possit commodari ad sacra, & prophana ministeria, tamen cum commodatur ad sacra, & absolute ponitur in Scripturis, tunc que accipitur pro ministerio sacrificij, ut patet ex cap. 1. Lucæ, & epistola ad Hebræos, cap. 2. 8. 9. & 10. Quare hoc loco Erasmus, qui apud aduersarios in precio esse solet, vertere videtur est: *Sacrificantibus illis Domino;* & hinc etiam factum est, Græci Missæ celebrationem *Λιτουργία* appellet.

CAPVT XIV.

Probatur sacrificium Missæ ex cap. 10. prioris Corinthios.

ARGUMENTVM POSTREMVM ex his que probatur à Scripturis, est apud Apostolum 1. Corinthios. *Fugite, inquit, ab idolorum cultura. Ne prædicatione loquor; Vos ipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Domini est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? quoniam unus panis, et unum corpus multi sumus qui de uno pane participamus. Videte Israël secundum carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? quid ergo dicam quod idolis immolatum sit aliquid, aut quod idolum sit aliquid? Sed qua immolant Gentes, demonis immolant, & non Domini autem vos socios fieri demoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem demoniorum: non potestis mensam Domini participes esse, & mensam demoniorum. Hæc ille.*

Ex his verbis tria argumenta colliguntur. VNUM ex comparatione mensæ Domini, cum mensa Gentilium, & Iudeorum. Apertissime enim comparat Apostolus mensam Domini, unde sumimus Eucharistiam, cum altari Gentilium, ubi immola-